

absoluta, atque exhausta sit, Lectorem eo simpliciter remittimus, unum id addentes, adulationes Academiis maxima ex parte proprias esse. Adhuc nuper responsum academicum in manus meas incidit, quod fœdissima adulationis contagione totum infectum erat. Novam omnino id insanabilis, seu, ut loquuntur, thetica nullitatis continebat speciem, ejusdemque prolapsam in rem judicatam modo sententiam insimulabat, eo quod illa mercem post legem dudum inventam sub legem generalem haud comprehendisset, seu legem ad eam non extendisset, atque ita contra regulas hermeneuticas pessime peccasset. Peccatum (sic melius dixero) academicum nimio plus in propatulo est, quam ut vel minima analysi indigeat. Quo circa addidisse sufficet epicurifin, qua insignis advocatus lectum responsum mactabat. Dignum (ajebat) responsum, quod in frontispicio gerat illud HORATII i).

*carmina non prius  
Audita Musarum sacerdos  
Virginibus, puerisque canto.*

### MEDITATIO III.

DE

## NOVELLATORIBVS CIRCA CAVAS RELIGIOSAS.

§. I.

Si ulla unquam alia, religionis profecto materies est, quæ Novellatoribus scateat, atque exuberet. Non dicam modo de schismaticis, hæreticis, sectariis apostatis, gentilibus, atque idololâtris, quorum æque, ac stultorum, infinitus pene est numerus. Inter nosmet

Catho-

Catholicos reperire est plures, quos innovantes recte dixeris. Aspice Rhoanam Domnam sanctitatis fama lucidam. Hæc mututinas meditationes instituit, interest tribus cottidie sacris, duodecim indies Rosaria absolvit, recitat officium magnum una cum quatuor parvis, ter de septimana corpus severe castigat, ter trifli corde jejumat, ter ad sacram Synaxin accedit. Laudanda quidem, minimeque vituperanda opera. Verum aspice eandem Rhoanam inter ipsas usque adeo meditationes ancillulæ ex humana fragilitate vel minimum delinquenti millies mille diras imprecantem, ea, quæ deesse somniat, & a se ipsa de uno in alium locum translata esse non meminit, a servo surrepta renunciantem, quæstui, usuris, ac scœnori unice inhiantem, debitores suos absque omni misericordia ad incitas agentem, amore proximi frigescentem, omnis humanitatis, socialitatisque nesciam, domum perpetuis rixis, ac clamoribus inundantem, sibi, suisque necessarium victum denegantem, de unoquoque non nisi mala suspicantem, fractam ollam tota hebdomada deplorantem, de minimo damno graviter, ac sine fine conquerentem, mercenariis, opificibusque fraudes exprobrantem, aliorum fortunis invidentem, procumque honestissimum, cui intolerabiles matris mores filiam exosam reddiderant, ad conciliandum matrimonium habitæ cum filia copulæ publice reum agentem. Cedo! quid isthoc, nisi improba religionis novellatio? Intuere porro Aeacum qui juridicis operis diu, noctuque incumbit, qui litigatoribus sub galli cantu ostia pulsantibus faciles aures præbet, qui advocatus partium suarum causam perorantes integris horis audit, qui lites citissimus dirimit, qui largas eleëmofynas erogat, opimas fundationes erigit, sepulchra prophetarum ædificat, justorumque monumenta ornat. Ast intuere ipsum etiam, dum justitiam pecunia vendit, torquet misere  
jura



jura ac leges, domos viduarum, ac pupillorum comedit, jurat per aurum templi, flagellat pauperem, nummato fonti absolutionem pollicetur, circumscritibit nodosis quaestionibus judicium, ut pervulgati juris lectio una proferatur, septem vendibiles introitus praparat, ad expugnandam veritatem mercenaria ora proculdit, tanquam avaritiae venundatus, & ufucaptus nihil praeter infeminatam petendi licentiam novit, eique

*Utilitas sola est justi prope mater, & aequi.*

Annon iterata novellatio? Et quis novellatorem compellare dubitabit Theologum, quem BOILEAU a) pro more suo ita decantat:

Notre Docteur bientot va lever tous ses doutes,  
Du Paradis pour elle il applanit les routes,  
Cet, loin sur ses defauts de la mortifier,  
Lui même prend le soin de la iustifier.  
Pourquoi vous allarmer d'une vaine censure?  
Du rouge, qu'on vous voit, on s'etonne, on murmure.  
Mais a-t-on, dira-t il, sujet de s'etonner?  
Est-ce, qu'à faire peur on veut vous condamner?  
Aux Usages reçus il faut qu'on s'accommode,  
Une femme sur tout doit tribut à la mode.  
L'orgueil brille, dit-on, sur vos pompeux habits,  
L'oeil à peine soutient l'eclat de vos rubis  
Dieu veut-il, qu'on etale un luxe si profane?  
Oui, lorsqu'à l'eclat notre rang nous condamne.  
Mais ce grand jeu chez vous comment l'autoriser?  
Le jeu fut de tout temps permis pour s'amuser.  
On ne peut pas toujours travailler, prier, lire;  
Il vaut mieux, s'occuper à jouer, qu'à medire.  
Le plus grand jeu joué dans cette intention  
Peut même devenir une bonne action,

Tout est sanctifié par une ame pieuse,  
 Vous etes poursuit-on, avide ambitieuse,  
 Sans cesse vous brulez de voir tous vos parens  
 Engloutir à la cour charges, dignitez, rangs.  
 Votre bon naturel en cela pour eux brille,  
 Dieu ne nous deffend point d'aimer notre famille.  
 D'ailleurs tous vos parens sont sages, vertueux,  
 Il est bon d'empêcher, ces emplois fastueux  
 D'être donnez peut-être à des ames mondaines,  
 Esprifes du neant des vanitez humaines.  
 Laissez-la, croiez moi, gronder les indevots,  
 Et sur votre salut demeurez en repos.

## §. 2.

Hiscæ præmissis propius ad rem accedamus. Circa religionem quæ novellantur, doctrinam despiciunt, aut disciplinam: & iterum vel circa essentialia, vel circa accidentalia versantur.

## §. 3.

Essentialia Religionis Romano-Catholicæ cum non consent, nisi ex his, quæ (Tridentinæ sunt verba Synodi b): *Sol justitiæ, Christus Jesus, fidei nostræ autor, & consummator docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia Spiritu sancto suggerente perpetuo retinuit*; sponte sua consequitur, omnem novellationem heic penitus exulare. Quod si quis vero quidpiam novellare præsumperit, non modo a Fide Catholica deflectit, verum etiam ab Ecclesia pro hæretico, & schismatico reputatur. Quapropter & VINCENTIUS LERINENSIS c) dextre admonet: „Profanas vocum „novitates divita, quas recipere, atque sectari nunquam

b) Sessione VI. in præmio.

c) Adversus profanas omnium hæresum innovationes  
 Cap. XXIV.



„quam Catholicorum, semper vero hæreticorum fuit . . .  
„Hoc apud omnes fere hærefes quasi solemne est, ac  
„legitimum, ut semper prophanis novitatibus gau-  
„deant, antiquitatem fastidiant, & per oppositiones  
„falsi nominis scientiæ a fide naufragent. Contra vero  
„Catholicorum hoc fere proprium, deposita sancto-  
„rum Patrum, & commissa servare, damnare pro-  
„phanas novitates.

§. 4.

Apud alios assentialia novellationem quidem non respuunt. Ecquid enim exempli gratia vetat, quominus dubius, ac titubans Sacramentorum numerus a novellatore vel augeatur, vel diminuatur. Nihilominus tamen novellatio haud usque impunis. *Nec quidquam* (de Sacramentariis LUTHERVS d) loquens inquit) *magis hanc hæresin promovet, quam novitas. Nam nos Germani tales homines sumus, ea, quæ nobis nova sunt, affectamus, & avide arripimus.* Idem LUTHERVS de iisdem Sacramentariis porro scribit: *Nullos hostes capitaliores sum expertus hætenus, quam suaves illos fratres collegas amicos, quos tanquam filios in sinu nostro fovimus novarum sectarum Magistrorum, Sacramentarios dico, & alios phanaticos, qui qualem nobis referant gratiam, vide.* Ino sæpius ipsi novellatori periculosa, & ut plurimum ad concitandos motus, seditionesque adinventæ. Quamprimum quis enim vel in uno articulo discedit, coetus, unde novellator progressus est, indignans extemplo effervescent, in ejus caput conjurat, eumque velut putidum membrum amputare, & a communione excludere satagit. Exemplâ prohdolor recentiora, ac notiora sunt, quam ut adduci mereantur.

d) apud FABRYM ad Cod. Lib. I. Tit. I. pag. m. 17.

## §. 5.

Quantum ad Imperium Romano-Germanicum at-  
tinet, habet etiam talis novellator, cur fiscalem Cæ-  
fareum timeat. Dum enim Instrumento Pacis Osna-  
brugenſis e) diſerte cautum legitur, ne præter Religio-  
nes in ipſo Instrumento nominatas ulla alia in ſacro  
Imperio Romano recipiatur, vel toleretur; Fiscalis,  
qua læſæ Pacis vindex contra eum agere, ac pro mau-  
dato de non tolerando Sectarios, nec ullos, qui aliam,  
quam quæ in Imperio permiſſa ſit, religionem profi-  
tentur, ſed Imperialibus Conſtitutionibus ſe confor-  
mando S. C. una cum citatione ad videndum ſe inci-  
diſſe in poenam Conſtitutionis Imperialis ſupplicare  
poterit. De quo ſuo loco jamtum egimus.

## §. 6.

Cætera reformandi jura Statibus Imperii per Pacem  
Weſtphalicam vindicata adducere, motasque ab aliis  
quæſtiones ruminare ubi vellemus, tramites certo cer-  
tius transgredere, modo de novellatoribus in ge-  
nere, non autem de juribus, quæ Statibus Imperii no-  
vellantibus ſeu reformantibus ratione territorii & ſu-  
prioritatis in negotio Religionis competunt, agentes.  
Cui ea pertractare volupe eſt, conferat, ac præ aliis  
adeat incomparabilem ac non fatiſ laudandum Domi-  
num BARTHEL maximum Univerſitatis Herbipolenſis  
decus, quippe qui materiam de jure reformandi anti-  
quo, & novo binis Diſſertationibus f) eruditiffimis,  
æque ac elegantiffimis abſolvit.

## §. 7.

e) Art. VII. §. 2.

f) Ambæ exſtant in ejuſdem Opusculis juridicis nuper con-  
junctim editis, Tom. I. Opulc. 2 & 3.



§. 7.

Contristor, & vix tempero a lacrymis, quoties  
magnum ex teroquin ANTONIVM DE DOMINIS g).  
Spalatensem Archiepiscopum dicentem audio. „Profe-  
„sionem hanc meam, sive etiam ex Babylone exitum,  
„aut fugam, omni schismatis suspicione carere volo.  
„Fugio enim errores, fugio abusus, fugio ne parti-  
„ceps sim delictorum ejus, & de plagis ejus accipiam:  
„A charitate tamen, quam debeo Ecclesie sanctae Ca-  
„tholicae, singulisque eidem communicantibus, me  
„nunquam separo: sed quantum in me est, cum omni-  
„bus, quamdiu in essentialibus nostrae fidei articulis, &  
„Symbolis antiquae Christi Ecclesiae convenimus, per-  
„petuo communicare sum paratus, si tamen novos ar-  
„ticulos, sive sacrae scripturae aperte contrarios, sive  
„a Symbolis praedictis alienos, iisque repugnantes simul  
„omnes detestemur, & abominemur: Alios vero in  
„se indifferentes, in Ecclesia nunquam sufficienter di-  
„scussos, stabilitos, & definitos, pro articulis fidei, nisi  
„prius ad plenum definiantur, aut jam sufficienter de-  
„finiti esse ostendantur, nequaquam admittamus: Sed  
„neque eos ut haereticos, nisi prius ab Ecclesia suffi-  
„cienter condemnatos esse nobis constiterit, aut con-  
„demnentur, condemnemus. Relinquatur itaque in  
„indifferentibus libera cuique Ecclesiae facultas opinan-  
„di & operandi, & unaquaque abundet in sensu suo,  
„donec ipsa Ecclesia Spiritu Christi instructa, & recta,  
„Controversiis finem imponat: verasque paleas sepa-  
„ret a veris granis.

§. 8.

Risum contra tenere nequeo, dum perillustrem  
Dominum DE LOEN h) suum, ut vocat, pacis tem-

C 4

plam

g) de Republica Eccl. in Professionis Consilio §. XIV.  
h) in freyen Gedanken zur Verbesserung der menschlichen  
Gesellschaft. S. 51. edit. tertia.

plum hifce describentem video. Also könnte eine christliche Obrigkeit ohne weitere Umstände, und Berathschlagung der im Disputiren sich stets verlaufenden Geistlichkeit, eine allgemeine Landes- und Friedenskirche aufrichten, in welcher nichts anders, als das bloße Christenthum, nach den Worten des Heilandes, und seiner Apostel, mit Vorbengehung aller streitigen Fragen gelehret würde; dergestalt, daß alle und jede Christen, sie seyen von einer Secte, wie sie wollen, wann sie anders die heilige Schrift zur Richtschnur ihres Glaubens annehmen, sich darin finden, und erbauet werden könnten. Wo die Sachen nicht wieder zu dieser ersten Glaubens-Einfalt gebracht werden, da sind alle Vereinigungsvorschläge vergebens. Idem profecto mihi videtur, ac si quis pœnitentem Magdalam, ac luxuriantem Corinnam, severum Catonem, ac Celticum Ardelionem, rixosam Xantippen, ac facetum Juvenalem uno conclavi includere, illisque injungere vellet, ut quilibet suis ibi vacet negotiis. Superi! Quæ ista rerum foret facies? Videor modo videre Magdalam Corinnæ Lascivias reprehendentem, Corinnam vero omni reprehensione inattenta speculo assidentem, faciem fucantem, voluptatibusque indulgentem: videor videre Catonem virtutum rudimenta explanantem Ardelionem contra moralium impatientem, saltantem, volitantem, cantantem, ac sibilantem: videor videre Xantippen omnibus, quot potest, Juvenalem jurgiis, opprobriis, cavillis, contumeliis, scommatibus, ac Lædoriis impetentem, & Juvenalem deridentem, ac ludificantem.

## §. 9.

Accidentalia Religionis novellationi subjacere extra omnem dubitationis positum est aleam. Sic novimus in Leodiensi Diœcesi plures dies festos nuperrime abrogatos esse. Et recte quidem. Multo namque satius est,



est, manuarios pro uxoribus, liberisque operari, quam die festo ea, quæ aliis parta sunt, absumere, aut duram usque adeo pauperiem pati. Satius est juvenes, puellasque artificium exercere, quam festis diebus voluptates, ac vitia sectari. Satius est, servos, ancillasque consuetis operis vacare, quam festis diebus heluari, ac debacchari. Satius denique est, diem non sacrare, quam sacratam prophanare.

§. IO.

Verumtamen haud usque, ac sine discrimine novellare expedit, sed hac in re, & ad temporum mores, & ad utilitatum præsentium rationes, & ad rerum publicarum genera, geniumque populi sedulo respicere fast est. Graviter in hoc peccavit Imperator IVSTINIANVS, qui quadragesimali tempore carnibus homines vesci vi quadam iussit. *Quum fames* (scribit CALLISTVS) *i) Byzantii increbuisse, rerum necessariorum inopia, Imperator secunda statim jejunii hebdomada carnes in foro venales proponendas promulgavit. Et hoc quidem sic per vim actum. Populus autem, qui pietatem sibi consecrandam statuisset, neque eas emebat, neque edebat: mortem sibi potius adeundam esse censens, quam ut quidquam de patriis moribus, & traditionibus mutaret.*

§. II.

Quod si necessitas, majorve Religionis, aut Reipublicæ utilitas exigat, nil omnino spectandum, temperanda tempora, tenax nimium antiquitatis vulgus temnendum, frenandi mores, arripienda opportunitas, ac novellatio libere, & generose peragenda est.

i) Ecclesiast. Histor. Lib. XVII. Cap. 32.

## §. 12.

Disciplina ecclesiastica novellationem non tantum admittit, verum etiam corrupto hoc seculo ardentissime efflagitat. Probe BENEDICTVS XIV. Pontifex maximus, inter hujus generis novellatores, velut luna inter minores ignes micans, id novit, eum in finem eximias Institutiones Ecclesiasticas conscripsit, inque has incredibili eruditionis copia congestit omnia, quæ possint Ecclesiasticam disciplinam in pristinum revocare, morum corruptelas evellere, ac pulcherrimam antiquitatis excitare imaginem, quam non mediocriter, neque uno in loco hominum negligentia, & ignorantia scdissime deformarunt. Optandum sane foret, ut liber fere divinus, ab omnibus, singulisque perlegatur, in ecclesiis publice usque adeo recitetur, aureaque monita ubique terrarum introducantur, ac stricte observentur.

## §. 13.

Optarem porro, & totis quidem votis optarem, ut omne Religionis nostræ punctum in abstinentia a lacte, ficu, pyro & pomo, in longis oratiunculis, in erigendis foundationibus, in cinere, & cilicio haud ponatur, sed ut veræ fidei rudimenta altius inculcentur; ut penitus inspiciatur præcepti finis, qui teste APOSTOLO k) *est charitas ex puro corde, & conscientia bona, & fide non simulata, a quibus aberraverunt quidam, deflexerunt ad vaniloquium, volentes esse legis doctores non intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus adseverant*; ut officia, quæ DEO, quæ proximo, quæ nobismet ipsis persolvere debemus, accuratius exponantur, utque major moralium habeatur ratio. Etenim ad muliebria jejunia, ad multam, sæpiusque intempestivam  
plane

k) I Timoth. I. v. 5.



plane orationem, ad opimas fundationes, ad induendum cilicium neque DEI, neque Ecclesiæ præcepta nos obstringunt. At diligere Dominum DEVM ex toto corde, de Eo debite sentire, Eum ut trinum & unum, ut omnipotentem, ut omniscium, ut sapientissimum, ut verissimum, ut justissimum, ut summum bonum concipere, credere vera esse, quæcunque superioribus temporibus gesta sacris literis referuntur, de DEI in nos voluntate, & operibus, secundum scripturæ traditionem sentire, & hodie etiam mundum & Ecclesiam a DEO gubernari & conservari non dubitare, credere ventura, quæcunque vel promittunt, vel minantur divina oracula, credere, quod CHRISTVS IESVS venerit in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum primus sum ego l); credere, quod quemadmodum per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes vivificandi sint m) diligere proximum sicut nos ipsos, illi in licitis favere, pro viribus succurrere, nec verbo, neque opere offendere, & omnia, quæcunque volumus, ut nobis faciat, & hoc illi facere, hoc est primum & secundum mandatum n) hæc est lex, & prophetæ o) & hæc plenitudo legis p).

§. 14.

Optarem denique, ut talium virtutum nobis usque proponantur protypa, quæ non nude mirari debeamus, sed quorum etiam exempla imitari possimus. Quantumvis ultro concedam DEVM in Sanctis suis mirabilem esse, ac sæpius mirabilia operari. Quantumvis pariter concedam virtutem sat pulchris coloribus depingi

l) cit. Cap. I. v. 15.

m) I Cor. XV. v. 22.

n) Matth. VII. v. 22.

o) Matth. XXII. v. 38 & 39.

p) Rom. XIII. v. 10.

pingi non posse: nullus tamen induci possum, ut credam, homines exemplis humanas vires, ac potentiam plane transcendentibus magis commoveri, ac trahi, quam iis, quæ assequi, atque exæquare valent; præsertim cum indubitatum sit, quod hæc exoptatam imitationem eliciant, illa vero infœcunda admiratione tantum, & stupore animum obruant.

## MEDITATIO IV.

DE

## NOVELLATORIBVS CIRCA CAUSAS POLITICAS.

## §. I.

**P**oliticem cum Politia, græce πολιτεία, confundunt complures: inter eas tamen maximum discrimen esse peritiores jam dudum observaverunt. Hæc, politia scilicet Reipublicæ administrandæ modum considerat, atque in eo tota occupatur, ut, quibus legibus humana societas regi possit, quæ officia imperantium, ac subditorum sint, quomodo singulæ Reipublicæ partes sustineri, muniaque peragi debeant, tradat, exponatque. Illa contra civilem conversationem, qua sive ad exigentiam, sive ad mutua commoda, sive ad relaxandum animum utimur, spectat, quæ in ea peragenda, omittendave sint, docet, ac regulas, observationes, cautelasque præscribit. De novellationibus circa priorem, ut ut plurima sint, quæ moneri & possent, & deberent, impræsentiarum agere nec lubet, nec juvat. Novellationes circa posteriorem proinde præsentis conficiunt objectum meditationis.

## §. 2.

Sicuti Respublica sine Legibus subsistere nequit, ut  
TULLIVS a) hisce perhibet: *Mens, & animus, &*

a) pro Cluentio.